

These extracts have been published in the volume : Anne Grondeux & Irène Rosier-Catach, *Priscien lu par Guillaume de Champeaux et son école : Les Notae Dunelmenses (Durham C.IV.29)*, Turnhout, Brepols, 2017, vol. I p. 300 and 306-308. They are reproduced here with the kind permission of the publisher (see pp. 299-315 for their analysis).

VIII.101 (448.11) SVNT IGITVR : Quandoquidem nomen non habet omnes personas, cum constet quod aliqua pars habeat, igitur uerbum omnes habet quae sunt tres, et quae sint illae tres determinat definiendo tamquam si dicat, prima, secunda, tertia. Sciendum hanc uocem 'persona' diuersis accipi modis. (1) Significat enim quandam qualitatem quam possumus uocare personalitatem ipsis rebus adiacentem, et hoc proprie. (2) Designat etiam res illa qualitate participantes quas solemus uocare 'personas', gratia rei quam suscipiunt. (3) Accipitur etiam in designatione alterius qualitatis, scilicet significationis rerum personalium, quae qualitas adiacet uerbis personalibus. Nam cum dico 'lego est persona', non dico huic uerbo inesse personalitatem rem illam, immo significationem rerum personalitati subiacentium. Et est dicere 'lego est persona', id est significans rem personalem. (4) Item accipitur 'persona' significans uerba significatione rerum personalium participantia. Cum igitur his quattuor modis et sine dubio aequiuoce 'persona' accipiatur, duas tantum significationes personae hic tractat Priscianus, scilicet agit de persona secundum designationem rerum personalitati subiectarum et in designatione uerborum. Quae duae significationes sunt ei secundariae.

Et, cum deberet definire personam ut superius coniugationem, diuidit eam per primam, secundam, terciam. In qua diuisione satis innuitur definitio personae. Nam personam dicimus realem quae uel DE SE LOQVITVR uel ad quam prima loquitur de ipsa uel de qua loquitur prima ad secundam; uocalem uero uocem hanc personam significantem.

α	β
PRIMA EST (448.11). Hic definit primam personam et secundum rem et secundum uocem, <u>nec mirum</u> . Res est causa uocis. Prima persona <u>est</u> quae loquitur, ecce realis.	PRIMA EST (448.11). Hic definit primam personam et secundum rem et secundum uocem, <u>et competenter facit</u> . Res <u>enim</u> est causa uocis. <u>Et sic dicit, res illa est</u> prima persona quae loquitur, <u>id est quae profert sermonem de quocumque habitum, siue de se siue de alio</u> , ecce realis.
Prima uocalis est quae significat rem <u>loquentem</u> . Et hanc nobis innuit cum dicit quae LOQVITVR DE SE, id est profert uocem <u>significantem istud de se</u> .	Prima uocalis est quae significat rem loquentem de se. Et hanc nobis innuit cum dicit quae LOQVITVR DE SE, id est profert uocem se significantem.